

conscientiam nulla obstringat religio. Annotationes verò quas carpunt, ex locorum suorum circumstantia debent exponi: nempe ubi cultus Dei locatur in ferijs, & conscientijs imponitur necessitas. Quia autem apud eos tam superstitio regnat quàm tyrannus: neutram reprehendi sustinēt. De ciborum discrimine, valde scilicet arguta est eorum speculatio. Quicquid ea de re Paulus disserit in Epist. ad Romanos & Corinthios & Colossenses, ad Iudaicam superstitionē restringunt: quia multi adhuc Legē Mosis urgebant, quanuis esset abrogata. Quum venturos prædicat idē Apostolus, qui à cibis prohibeāt fideles, detorqueēt boni interpretes ad Manichæos, ad Tatianos, & similes. Quasi verò obiectis paucorū hominum personis, Spiritum sanctū à recta causæ cognitione protinus auertant. Hoc cum Montano, Encratitis, & Manichæis commune habent, quòd ciborum usum, quem liberum Deus esse iubet, illicitum fingūt. Siquis exprobret: puerili cavillo effugiunt, Manichæos se nō esse. Perinde ac siquis Christi diuinitatem negans, Arrianum se neget. Quamquam de nomine non disputo. Esto ne grauentur

N